



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 2. Esurientes impleri bonis à Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

aut bibere, malunt enim stomachum, quàm loculum inanem circumferre. Quin & illi ipsi, qui in vino & epulis commorantur, nunquam gulam ingluviemq; suam explēt. Quò vina plus bibuntur, plus sitiūtur. Hinc helluones, hinc gurgites vocātur; hinc, tanquam canes importuni, semper mensas allatrant alienas, vmbrae non conuiuæ; nec socij, sed parasiti; ollares amici, non ad aram, sed ad mensam venire parati.

§. II.

Esurientes impleri bonis à Deo.

Aliter agit cum seruis suis Deus; qui non affliget fame animam iusti. Cui, apud Iob, dicitur: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello lingua absconderis, & nō timebis calamitatem, cum venerit. In vastitate & fame ridebis, & bestias terra non formidabis.* Hoc est, quod dicitur: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ei. Ut eruat à morte animas eorū: & alat eos in fame.* Ac rursus: *Novit Dominus dies immaculatum: & hereditas eorum in aeternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt. Non enim in Domino, sed in Mundo spem suam ponunt; qui autem de*

Prou. 10.

Iob. 5. 20.

Pl. 32. 18.

Pl. 36. 18.

Dei prouidentia & bonitate sentiunt, quod oportet, haudquaquam ambigunt, vitam, sustentationemque suam multò magis curari à Deo, quàm à seipsis.

§. III.

Deum suos pascere scriptura exemplis docetur.

Quod sanè SS. PP. luculentè docuerunt.

S. August
de orat.
Domi-
nic.
Prou. 10.
Psal. 36.
Luc. 12.

4. Reg. 4.
38.

Non potest, inquit S. Augustinus, quotidianus cibus deesse justo, cum scriptum sit: Non occidit Dominus fame animam iusti. Et iterum: Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quarens panem: Et iterum: quarentibus regnum Dei, & iustitiam eius omnia promittit apponi, & cum sint Dei omnia, habenti Deum, nihil deerit, si DEVS ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu, jussu regis, incluso, prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga, coruis ministrantibus & volucris cibum apportantibus, in persecutione nutritur. Elisæus quoque, tempore famis, nonne filijs Prophetarum & pulmentum dedit, & amaritudinem magnam in magnam dulcedinem conuertit? Neq; pulmentum tantum, sed & panes. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum,